

DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS,

DE ABORTU,

QUAM, ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS GUILIELMI GARNIER,

MATHESEOS MAGISTRI, PHILOSOPHIÆ NATURALIS DOCTORIS,
ORDINIS MATHEMATICI ET PHYSICI PROFESS. ORDINARII.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÈ AC LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

Ludovicus-Marinus-Cornelius Lievens, Alostanus,

DIE 16 NOVEMBRIS MDCCCXXII, HORA UNDECIMA.

GANDÆ, TYPIS A. I. VANDER SCHELDEN, IN PLATEA DICTA ONDERSTRAETE.

Ex decreto facultatis 2 Martii 1818, opiniones in dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ, et a facultate nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.



Piis Parentum Manibus,

Avunculo J. B. VAN WAEYENBERGHE Carissimo,

EJUSQUE UXORI MATERTERÆ AMANTISSIMÆ,

CONSANGUINEIS, ATQUE AMICIS.

Has studiorum primitias dicat, vovet,


Auctor.

L. S.

Dudùm mihi persuasissimum est, theoriam in arte medicâ tironibus sese optimum præbere ducem, hosque nihilominùs antè lectum ægrotantis sæpè, ipso experientiæ defectu, in incerto habere quid consilii capiant. Hoc denuò mihi dissertationis materies comprobavit. Pauci, quos vidi casus, in latissimo dicendi campo, satis opportuni fuerunt: sed majori cum animi firmitate scripsissem, minoremque difficultatem expertus essem, si mihi contigisset quod nunc brevi continget, ut hospitium maternitatis gravidis et puerperis destinatum, in hâc urbe, pro medicinæ studiosorum commodis, institutum vidissem; in eo cum sociis principiorum uberiorem applicationem facere, veritatem et humanitatis commodum quærere potuissem. Faxit Deus, ut omnia feliciter eveniant voto! tandem miseræ illæ feminæ, ex asperrimis viarum tesquis, in hortum animo gratiorem, visui jucundiorem, flosculis, plantulisque pluribus recens virentibus, ornatiorem deduci, inque eo hilariores, jucundiores et fecundiores (quod in votis esset) reddi, et fructus etiam ex sese maturos pronasci videre queant.

Vitam impendere vero et sequi probabiliora, nec ultra quam id quod verosimile occurrit, progredi possumus, et refellere sine pertinaciâ, et refelli sine iracundiâ parati sumus.

Cicer. Tuscul. II.



DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE ABORTU.



§. I.

Abortum, seu frequentia, quâ se monstrat, seu mala, quæ ipsum concomitantur spectentur, inter gravissimos, quibus gravidæ afficiuntur, casus, haud infimum tenere locum merito censemus : igitur materiam pro viribus aggredi obiterque tractare, illius causas, symptomata, et legitimam curationem, præmissâ definitione, exponere animus est.

Definiri potest abortus : intempestiva fœtûs nondum maturi cum secundinis suis ex utero exclusio. Cum autem plurima exempla habeantur fœtuum septimestrium, qui diu non tantùm supervixerunt, sed et ad altam senectutem pervenerunt; hinc tales partus non vocantur ampliùs abortus, sed præmaturi. Si verò primo imprægnationis tempore ovum humanum elabatur de utero, vix ullo indicio cognosci poterit talis embryonis deperditio, undè et a multis abortûs nomen tunc vix mereri creditur. Hâc de causâ plerumque a primi mensis fine usque ad mensem septimum mulier abortiri dicitur, si fœtum suum cum suis secundinis perdat. Vanum parturium (*fausse couche*), ab obstetricatoribus quibusdam ut synonimum abortûs habitum fuit,

sed hæc denominatio potiùs indicat expulsionem ex utero variarum substantiarum graviditatem mentientium, uti molæ, hydatidum. Hisce consideratis facillimè colligi posse arbitror, quinam fœtus pro abortivis sint habendi : quibus autem causis abortus adscribi possit, in proxime subsequentibus patebit.

§. II.

CAUSÆ.

Causæ abortûs multifariæ sunt; et facilitatis gratiâ, vel ad matrem, vel ad uterum, vel ad fœtum, ejusque annexus referri possunt. Quæ ad matrem pertinent, commodè dividuntur in prædisponentes et occasionales, ad priores (prædisponentes) spectat : constitutio irritabilis, vel sic dicta nervosa, ex eo quod feminæ hâc constitutione præditæ impressionibus vivis a causis externis admodùm obnoxiæ sint. Dein plethoricæ; quia sive per ipsam sanguinis copiam, sive per actionem vasorum auctam, sæpiùs hæmorrhagias uterinas patiuntur. Tandem feminas debilitatas, seu quod debilitas illa ab ipsâ constitutione, seu a causis prægressis dependeat faciliùs abortire docet quotidiana observatio. Talis tamen dispositio ordinario non sufficit ad abortum inducendum; requiritur enim plerumque concursus causarum occasionalium, quarum nunc sermo erit : inter causas occasionales gravidis noxias, et periculosas, sed longè magis si ad abortum dispositæ fuerint, numerantur inprimis : animi pathemata, motus vehementiores, percussio abdominis partis inferioris, medicamenta quædam et venæ sectio; quarum elucidationem ut inquiram operæ pretium duxi.

---

§. III.

ANIMI PATHEMATA.

Quam miræ et quàm subitæ, fiant mutationes in corpore humano per validos animi affectus, satis constat. Sufficit hìc notasse, quod, omnia vasa corporis in subito metu contrahantur; per iracundiam circulatio acceleretur, et plena vasa turgeant. Si jam consideretur, tam subitos motus, validas adeo concussiones applicari teneris illis vasis, quæ chorion et placentam nectunt utero, nemini mirum videri potest, cur tam sæpè hæmorrhagia uterina, et abortus post validos animi effectus sequatur. Idem a subito gaudio, inopinato nuncio, bono vel malo metuendum est, quod plurima exempla testantur. Sic nuperrimè vidimus gravidam, quæ inopinatè certior facta de periculoso incendio in viciniâ, altera die cum validâ hæmorrhagiâ abortum passa est.

§. IV.

MOTUS CORPORIS NIMII.

Moderatus corporis motus prodest graviditatis tempore; imò vidimus rusticas mulieres, facilè ferre solitos labores, dum gravidæ sunt, modo non nimis fatigentur, nec valido corporis nixu illos perficiant. Notum est per motum muscularem accelerari sanguinis circulationem et majorem sanguinis impulsum fieri in vasa, sicque intelligitur, quomodo, motu vehementi ut in saltatione, cursu, vectione, agitatione, tussi valida, vomitu frequenti, major vis pulsi sanguinis in vasa excipientia nascitur, etiam tenellus fœtus concutitur, ut vincula tandem cogantur solvi, atque fœtum dimittere. Idem contingit in oneris gravioris elevatione, vel in nixu valido, quo facto non tantùm uterus, sed et reliquæ partes in abdomine contentæ, ab ejusdem vicinis musculis coangustantur, et retento simul spiritu inferiùs magis prótru-

duntur. Non minùs metuendum est, a percussione inferioris partis abdominis, quà vi chorion et placentæ nexus cum utero non tantùm destrui, sed et uterus inflammatione corripi, et quidem dilacerari, si jam provecta fuerit graviditas, potest.

§. V.

MEDICAMENTA.

Quoad medicamenta, quibus abortus procreari dicitur, illa præcipuè notatu digna sunt, quæ vel uterum ipsum, vel vicinas utero partes, validè stimulant, talia sunt : purgantia drastica, clysmata irritantia, acria uti cantharides, aconitum; remedia sic dicta emmenagoga veluti sabina, ruta graveolens, mercurialis annua etc. Notandum tamen est quod substantiæ illæ abortivæ vocatæ rariùs effectum sortiantur, nisi prævia adsit dispositio, quin imò quandoque alia mala, mortemque matri inferunt.

§. VI.

VENÆ SECTIO.

An sanguinis missio apud gravidam causa abortùs esse potest? Quidam practici putant, venæ sectionem in pede, congestionem in utero determinare posse, et sic per inductam hæmorrhagiam abortum oboriri; asserit etiam Hippocrates (1) mulier utero gerens, venâ sectâ, abortit, eoque magis si fœtus grandior fuerit. Fatendum est non omninò et absolutè verum esse, hunc Hippocratis aphorismum, nam quotidiana observata docent, abortum non semper sequi, si gravidæ mulieri vena secetur. Undè Celsus (2) prudenter limitavit Hippocratis sententiam. Dum enim de venæ sectione agit, monet, in pueris, et senibus et gravidis, antiquam medicinam hâc abstinuisse : en ejus

(1) Aph. xxxi. Sect. v. (2) Lib. ii. Cap. x. pag. 77.

verba : Si quidem antiqui, primam ultimamque ætatem sustinere non posse hoc auxilii genus, judicabant, persuaserantque sibi, mulierem gravidam, quæ ità curata esset, abortum esse facturam. Postea verò usus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasque potiùs observationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debet. Interest enim, non quæ ætas sit, neque quid in corpore intùs geratur, sed quæ vires sint. Videtur ex toto contextu CELSI patere, quod tantùm disputaverit, an liceat, in morbis sanguinem mittere gravidis mulieribus, non vero an gravidis et sanis illud fieri debeat. Nunc verò omnes boni practici inter sese conveniunt : ubi signa plethoræ adsunt, et largo menstruorum fluxui assueta est mulier, vel morbo inflammatorio affecta, tum sanguinis missionem ex brachio non solùm utilem esse sed et necessariam, si verò gravida benè valeat tum inutilem esse et noxiam.

§. VII.

Causis illis addi possunt morbi varii, v. gr. alvi fluxus vehemens, dysentericus præsertim haud raro abortum provocat, testante HIPPOCRAT. (1) mulieri, inquit, uterum gerenti, si alvus multùm fluat, periculum est ne abortiat.

Convulsiones, dolores colici, morbus venereus, hæmorrhoïdes nonnunquam abortire faciunt.

Alias in causâ est coïtus sæpè sæpiùs repetitus, præcipuè initio graviditatis, et tempore quo menses fluere solebant, quoniam indè uteri sensibilitas aucta, et sanguinis major affluxus, tenerem illum nexum fœtûs cum utero destruere possunt. Ultimo loco venit mentita, et arte, nescio quâ, sibi quæsita feminarum imprimis delicatularum, corporum gracilitas. Corpus enim sic aliquando constringunt, ut vix respirare possint : dein lumbos formant, et quod adhùc magis reprehensione dignum, pectora laminis ferreis, orichalceisve non-

(1) Aph. XXXIV. Sect. V.

nunquam suffulta gerunt : hisce ergo sic se habentibus , quæso ? an non etiam rei medicæ inscius judicabit , prægnantibus imprimis talia posse esse summè noxia , si consideret primò respirationem non procedere sufficientem , ob impeditum pectoris motum , secundò si animadvertat , interiores partes præter modum comprimi , quo non tantùm fœtûs incrementum impeditur , verùm etiam uterus ad ejus expulsionem stimulatur.

§. VIII.

Secunda causarum series , ex utero petenda est : potest enim in utero ipso , talis adesse dispositio , ut a levioribus etiam causis sequatur uteri hæmorrhagia et abortus , imò et quandoque , licet nulla notabilis causa prægressa fuerit. Talis dispositio nunc utero communis est cum reliquo corpore , nunc utero soli peculiaris : uti nimia fibrarum rigiditas , quâ uterus non sufficienter distendi potest. 2.° ejus sensibilitas justò-major , 3.° atonia fibrarum uteri colli 4.° morbi uteri præsentes v. gr. scirrhus , steatoma , aliique tumores , ulcera , cancer , fluor albus , monet et Hipp. (1) mulieres morbis et fluxionibus obnoxiæ sunt : deindè multæ ex morbo , non naturâ , steriles sunt , et frequenter abortiunt.

Insuper uteri hydrops , mola , polypus , simùl existente fœtu , totitidem abortûs causæ esse possunt.

§. IX.

Tertia denique causarum series latitans in fœtu comprehendit mortem ejus et summam debilitatem. Quùm fœtus , a quâqumque causâ hoc contigerit , moriatur , indè ordinario brevi ejus expulsio sequitur. Quamvis rari quidam casus contigerint , in quibus fœtus mortuus per plures menses , in utero maneret , tamen ut plurimùm inutile illud pondus brevi post expelli solet. Observata quoque docent communi-

(1) De aere , locis , et aquis text. x. Chart. tom. VI. pag. 190.

cationem per vasa inter matrem et secundinas, non semper post mortem fœtûs solvi, et in illis circumstantiis licet rarioribus, secundinas incressere, illaque corpora formare, quæ sub nomine molarum a medicis insigniuntur.

Ubi abortus sine causâ manifestà oboriatur, et fœtus admodum imbicilis existat. Hæc virium defectio pro causâ abortûs haberi, quandoque fas est.

Nemo etiam inficias ibit, fœtum in utero materno, morbis esse obnoxium, qui cognitu sæpè difficiles, nonnunquàm tamen in causâ sint, quâ abortûs producatur.

§. X.

Ultima tandem causarum series in fœtûs annexibus, scilicet : placentâ, fœniculo umbilicali, membranis et aquis quærenda est, sed omnes hæ causæ, nec certo cognosci, nec tolli, nec caveri possunt, licet cognitæ forent. Sic primò considerandæ veniunt ; callositates et indurationes placentæ, quibus circulatio intercipitur inter matrem et fœtum, fœtus moritur et expellitur. 2.° Fœniculus umbilicalis si brebior fuerit solito, periculum est, ne rumpatur, vel placenta ab utero separetur. An chordæ umbilicalis nodus abortum determinare potest ? Negat Gardien, sed Levret et Smellie contrariam habent opinionem, quæque mihi magis arridet, dicit enim Illustr. Levret (1) : vidi bis in eâdem nobili matronâ partum infantis mortui, qui in omnibus benè constitutus erat, sed chorda umbilicalis in mediâ longitudine nodo fortiter constricta erat, sicque omne commercium inter matrem et fœtum interceptum fuerat. Videtur funis umbilicalis casu ansam fecisse, per quam totum corpus fœtûs transivit, et postea motu ac pondere suo nodum incœptum sic constrinxit, ut vasa umbilicalia comprimerentur penitùs ; dum enim evolvebatur ille nodus, complanata apparuit tota pars funis umbilicalis, quæ nodo intercepta fuerat.

---

(1) L'art. des accouch., pag. 39.

3.° Quoad membranas fœtum includentes, earum nimia tenuitas quâ justo celeriùs rumpuntur quandoque causa est abortûs.

4.° Aquæ peccare possunt, et abortum procreare, quantitate solito minori, quùm tum fœtus minùs ab injuriis defenditur; sed multo sæpius quantitate solita majori, quâ uterus sic evolvitur ut distendi amplius nequeat, et ejus contractilitas in actum ante terminum graviditatis ducatur.

§. XI.

Enucleatis causis, quas proponere mecum constitueram, quasdam adhùc addere considerationes utile duxi.

Feminæ quæ sæpè abortum passæ fuerunt, ipso consuetudinis imperio, aliquando sine manifestâ causâ, eâdem gestationis epocha abortiunt.

Abortus eo faciliùs, manente eâdem causâ, inducitur, quo hujus actio ei respondet epochæ, quâ menses apparuissent extrà graviditatem, ratio quærenda mihi videtur, in ipsa vasa uterina multò sanguine turgida, ipsumque temperamentum, quæ ipsius placentæ solutioni favent. Gravidæ enim cætoroquin sanæ, tunc temporis plus minùsve molestantur.

Abortus sine causâ externâ, spontaneus si velis, frequentius occurrit, primis graviditatis mensibus, quàm ultimis. Ratio in promptu est : initio enim graviditatis, naturæ nisus in menstruationem fortior est, affluxus sanguinis eo majorem mutationem in uterum inducit, quo vasa faciliùs excitantur, et debilior fœtûs nexus cum utero citiùs destruitur.

Cæterùm notandum est maximam causarum enumeratarum partem, omni gestationis tempore, abortui ansam præbere posse, quandoque nullum effectum sortiri, turbas, quas producunt, ab intensitate causæ, et prævià mulieris dispositione dependere, subque variis circumstantiis variare, sic hæc a minimâ obortit causâ, dum illa impunè validas in abdomen fert percussiones.

§. XII.

CAUSA PROXIMA.

Causam proximam quærendam esse statuimus in utero, quatenùs is ipse undiquè irritatur ad contenti exclusionem.

Jam symptomatum abortum significantium et concomitantium catalogus certa methodo legendus, aut recensendus venit.

§. XIII.

SYMPTOMATA.

Symptomata abortûs, in aliis majora, in aliis minora, in aliis plura, in aliis pauciora observantur, prouti corporis dispositio, causa, gestationis tempus, aliæque circumstantiæ ferant. Etsi aliquando abortus sine signis prodromatibus occurrit, sæpiùs tamen illa adsunt, quæ apprimè noscenda sunt, ut abortus præcaveatur. Talia sunt : dolor lumborum insolitus, urinæ frequentior, sed difficilior missio, tenesmi, lassitudo, horrores, anxietas, molestæ in inguinibus tractiones, e mammis liquidi serosi excretio, subita mammarum extenuatio (dicit enim Divus Medicinæ Pater (1) : mulieri utero gerenti si mammæ derepentè extenuentur, ipsa abortit ;) motûs fœtûs absentia, sensus ponderis in utero, abdominis depressio, sanguinis ex utero fluxus, qui ordinariò a placenta partim aut totaliter solutâ, dependet. Cum enim et absque separatione placentæ, sanguis de gravidarum vulvâ exire possit, hinc dixi, quod fluor uterini sanguinis, in gravidis *ordinariò* a placentâ ab utero solutâ pendeat : possunt esse et aliæ causæ licet rariores : sic poterit sanguis exire, si in alio quovis loco, nexus chorii cum utero solvatur ; quandoquidem ovum humanum totâ suâ superficie nectatur utero. In illo loco, ubi placenta accressit, vasa magna sanguinea adsunt, sed nec reliqua chorii pars vasis caret, quod experi-

(1) Hipp. aph. xxxvii. Sect. v. tom. ix. pag. 217.

mentis Celeberrimi Noortwyk (1) comprobatum est: ipse auctor dum per vasa uterina materiam ceraceam immisit in uterum gravidum, vidit illam in vasa chorii penetrasse. Dum integrum ovum humanum ab utero, cui nexum erat, manu separare conabatur, vidit, chorion per veram cellulosam substantiam utero nexum esse, qui nexus tamen levissimâ vi solvebatur. Sed eamdem hanc cellulosam substantiam separanti, vasa occurrebant numerosa, per totum ambitum, ex utero in chorion porrecta, impleta. Illa insuper quæ de nexu ovi cum utero per vasa fuerunt dicta, et observatis expertissimi viri Gardien (2) confirmantur, en ejus verba : *C'est entre la caduque uterine et le chorion que se trouvent interposés les filamens qui sont les rudimens du placenta, et qui, disséminés à la surface du chorion, doivent se réunir pour former cette masse. Les vaisseaux uterins, pour se rendre au chorion, traversent cette substance pulpeuse que* Hunter *a décrite sous le nom de caduque, en sorte quelle fait les fonctions du tissu cellulaire à l'égard des autres membranes.* Certùm ergo est, uteri cum ovo commercium per vasa, et his ruptis, quacumque de causà, sequi poterit hæmorrhagia uterina, quæ longè profusior erit, si placentæ ambitus ab uteri nexu solvatur, ob vasa ibi majora et numerosiora.

Rariûs longè est, quod notat Mauriceau (3) dum uterus gravidus a vi externâ dilaceretur, tum ingentem uteri hæmorrhagiam sequi, licet placentæ cum utero nexus manserit integer.

Fusiùs disserere de hæmorrhagiæ uterinæ causis quidem possemus, nisi diutiùs inhærere iisdem, arctiores, quos nobis in nostrâ enucleandâ materia limites proposuimus, vetarent.

Omnia illa præmissa abortûs signa, quidem suspicionem movent, non verò certam cognitionem instantis abortûs præbent. Indè, dum

---

(1) Uter. hum. gravid. anat. pag. 11.

(2) Traité d'accouch., tom. II. pag. 156.

(3) Traité des maladies des femmes grosses, liv. I chap. XXI. tom. I pag. 169.

similia signa observantur, non temerè prædicendum est, certò mulierem aborturam esse. Mojor erit abortûs metus, si dolores per uteri contractiones inducti, adsint, qui ex lumbis incipientes, et per intervalla brevia recurrentes, versùs pubem desinunt, simulque aquæ formari incipiant; id est, digito percipiantur membranæ, aquâ turgidæ, prominentes per apertum os uteri, illudque replentes, membranæ rumpantur, et liquor contentus emittatur : indè placuit dicere Hipp. (1) si mulier utero gerens ventrem et lumbos doleat, metuendum est, ne abortione fœtum excludat, ruptis membranis eum continentibus. Hisce ergo per tempus plus minusve longum perstantibus, fœtus cum vel sinè secundinis expellitur.

§. XIV.

PROGNOSIS.

Monuimus jam ne medicus audentiùs abortum prædicat, sed causas tum prædisponentes, tum occasionales, gravidæ constitutionem, gestutionis tempus, symptomata, eorumque intensitatem et durationem sedulò consideret. His omnibus benè investigatis, duplex stabilienda venit prognosis : altera ad fœtum, altera ad matrem spectans.

Quoad fœtum, eo major erit abortûs instantis certitudo, quo causa validior, gravidæ prædispositio insignior, gestationis epocha conceptioni propior, symptomata graviora et numerosiora observentur. Mater verò plùs minusve periclitatur, ratione causæ, quod si spontè gravida abortiat, multò minùs ominosa foret prognosis, quàm in abortu, a contusione in ventrem, seu a remediis sic dictis abortivis, provocato, quo ultimo casu inflammatio uteri, vel peritonæi insequi potest. Auctores inter sese non consentiunt, circa quod gestationis tempus, abortus majus periculum portendit feminæ. Quidam ut Professor Leroy putant mulierem magis, tribus primis mensibus pericli-

(1) De mulier. morb. lib. 1. cap. xxv. chart. tom. vii. pag. 745.

tari, ex eo, quòd secundinarum expulsio vel extractio difficiliùs fiat post fœtùs exitum, eâque de causâ hæmorrhagia perstet, donec mulier secundinis liberetur. Huic opinioni Celeberrimus GARDIEN non assentit; dicit enim : quo fœtus grandior, eo partus difficilior, et sequelæ graviores. Mihi videtur magis interesse respectu matris, symptomatum concomitantium notio, et imprimis fluxûs sanguinis. Circa hunc notandum est, non omnem uteri hæmorrhagiam æque periculosam esse, et quandoque de vulvâ sanguinem exire, qui non ex utero venit. Observaverunt omnes, de morbis gravidarum scriptores, quibusdam mulieribus familiare esse, ut sanguis aliquâ copiâ prodeat, primis graviditatis mensibus, et quidem simili periodo, quâ menstrua iisdem non gravidis prodire solebant. Aliquibus ad quartum graviditatis mensem usque hoc contingit. Optimè hoc monuit Celeberrimus HOFMANNUS (1) sæpissimè fit, dicit ille auctor, ut, quæ sanguine abundant feminæ, secundo et tertio graviditatis mense, sanguineum experiantur fluxum, citra dolores et spasmos in regione lumbari, et abdomine, citra debilitatem et præcedentem horrorem aut rigorem partium extremarum. Hoc autem in casu sanguis non ex uteri cavitate, sed potiùs ex vaseulis vaginæ uterinæ profluit.

Ex dictis HOFMANNI evidenter apparet, quod hìc agatur de feminâ plethoricâ, vel potiùs bonâ gaudente valetudine, quod si debilis, sanguinis jacturam pateretur, certè in tali casu noceret, eoque magis si sanguis, ex utero ipso veniret; tum enim non tollitur superfluum, sed diminuitur necessarium, adeoque et matri et fœtui damnosa est talis hæmorrhagia. Cæterûm periculum fluxûs uterini desumitur : ex causâ, gestationis epochâ, quo partui proprior est mulier, eo pariculosior est hæmorrhagia uterina (2). Ex sanguinis quantitate, et effectibus, indè in ipsâ muliere obortis, quod si sanguis pleno rivo

(1) Medic. ration. et system. tom. IV. part. 3 cap. IX. pag. 623.

(2) MAURICEAU, Traité des malad. des femmes gross., lib. I chap. 21 tom. I pag. 159 et 535.

exeat, cum sequente magnâ debilitate, respirandi difficultate, et convulsionibus, maximum erit periculum.

Prognosis quoque pejor erit, si mulier gravida morbo quodam acuto afficiatur, quod patet ex aphorismo Hippocratis (1). Mulierem utero gerentem morbo quodam acuto corripi, lethale. Periculosiùs decumbere gravidas talibus morbis, nemo inficias ire potest. Tamen, illas non semper perire, dum morbo acuto corripiuntur, non minûs verûm est. Unde Celsus (2) hanc Hippocr. prognosim limitavit, dicens : mulier quoque gravida acuto morbo facilè consumitur.

§. XV.

CURA.

Promovendo pedem ulteriùs transcendo ad curationem, partim ad abortum ipsum præcavendum, partim ad symptomata concomitantia mitiganda, occupatam.

§. XVI.

Abortus præcaveri potest, gerendo curam rerum abortui causam præbentium et introducendo, in quantùm possibile, matri et fœtui per earum remotionem et correctionem, commodam dispositionem. Itaque ratio imprimis habenda est, in curatione ad mulieris constitutionem, et temperamentum, seu prædispositionem ad abortum. Sic apud gravidas plethoricas, et largo menstruorum fluxui assuetas, abortus a nimiâ illâ plenitudine metuendus, cavetur per venæ sectionem; et quum copia humorum derivetur, versùs inferiores corporis partes, per venæ sectionem in pede institutam, omnium ferè auctorum consensu, sanguinis missio in brachio fit graviditatis tempore, cujus rationem ut inquiram operæ pretium non duxi. Copia requiritur talis, quæ minuendæ plenitudini sufficit, nec vires debilitat nimis. Quandonam verò depletione opus erit, prudens medicus, ex signis

---

(1) Aph. 3. sect. v. chart. tom. ix. pag. 213. (2) Lib. vi. cap. vi. pag. 55.

plethoræ facilè determinare poterit. Notandum tamen est illam præcipuè convenire, primis graviditatis mensibus, post hoc tempus uteri moles crevit, et vasa ejus copiosiori sanguine indigent, ut repleantur, simùlque fœtus mole auctus pluri indiget nutrimento; insuper abortus, ut jam monitum est, illo graviditatis tempore sæpiùs contingunt, nisi a morbo valido, vel vi externâ dependeant. Cæterum si necessitas urgeat, omni tempore gestationis venæ sectio institui potest et debet. Si nimiæ plenitudinis signa recurrant, denuo eadem ratio suadet, repetendam esse sanguinis missionem.

Hisce quoque victus tenuis, motus ordinarius, potus refregerans magnoperè prosunt.

Gravidis, quibus mobile admodùm systema nervosum, et quæ passionibus hystericis corripiuntur, talia, ut abortus præcaveatur conveniunt remedia, quæ inordinatos generis nervosi motus compescere possunt, ut sunt antispasmodica nempè, assa fætida, opium, balnea, aromata, inter quæ, cinamonum principem locum obtinet: habet enim gratam fragrantiam, simulque vim roborantem satis manifestam.

Si gravidæ languent et debiles sunt, hisce ut abortus caveatur, commendanda sunt; alimenta facilioris digestionis et benè nutrientia, ut lac, ova sorbilia, vinum et alimenta succulenta, minori quantitate et sæpiùs de die repetita, de quibus ità Celsus (1) (tertium auxilium imbecilitati jacentis cibo vinoque succurere, cibus non multus quidem, sed sæpè tamen nocte ac die dandus est, ut nutriat, neque oneret). Adhibeantur et tonica aromatica, ut calamus aromaticus, extracta amara, cinnamomum, tandem medicamenta ferruginosa si vires ventriculi erigendæ sint, et nullum detur obstaculum.

Insuper vitentur omnia purgantia vehementia, acria imprimis, emmenagoga et spirituosa, aer quo degit mulier sit serenus, mediocriter calidus. In motu medium tenere optimum, id est nec nimis quiescat,

(1) De medicinâ, lib. III. de Cardiacis.

nec nimis sese moveat prægnans; somnus et vigiliæ pro constitutione corporis dirigantur. Exercitium veneris sit moderatum, vel meliùs in delicatulis nullum. Animi pathemata fugiantur. Damnantur saltationes validæ, aut diuturnæ, pariter caveri debent omnes nixus validi, elevando pondera, removendo obstacula et alia his similia. Verbo omnes causæ, quæ abortui ansam dare possunt, et de quibus antea egimus, evitandæ sunt.

Omnes morbi, quibus gravidæ affici possunt, ad abortum disponunt; itaque ratio habenda est in ipsâ morbi naturâ et agrotantis constitutione.

§. XVII.

Symptoma abortum ordinario præcedens ipsumque concomitans, et quod præcipuè caras movet, est ipsa hæmorrhagia uterina.

Ex prædictis patet, miras et latentes causas fluxûs uterini dari, quæ nullâ humanâ prudentiâ vitari possunt. Quæ requiruntur, ut a tanto periculo eripiatur gravida, nunc exponemus.

Remedia, quæ in fluxu sanguinis ex utero, graviditatis tempore, adhibentur, varia esse, ipsaque variare debere, ratione causæ, gestationis epochæ, temperamenti, atque aliarum circumstantiarum, non ignoramus. Hasce tamen omnes considerationes sequi, dissertationis limites vetant; eâque de causâ, remedia indicare, habitâ semper ratione in mulieris constitutione, et periculo indè sequente, a nostro proposito non alienum est.

Itaque si mulier gravida fortis constitutionis, aut plethorica hæmorrhagiam uterinam patiatur, venæ sectio sub debitis cautelis instituatur; quâ methodo una cum quiete corporis et mentis, sæpè cavetur hæmorrhagiæ augmentum et impeditur abortus. Posteà curandum, ut horizontaliter decumbat. Adhibeantur fomentationes frigidæ, ex aquâ et aceto confectæ abdomini, aeris calor temperetur, nec stragulis obruatur mulier. Interiùs administrentur potus refrigerantes: acida, nitrata, saliaque neutra.

Quod si constitutio irritabilis sit, ipsumque sanguinis fluxum inter-

tineat, multùm sperari poterit a narcoticorum et antispasmodicorum usu, et imprimis ab opiatis. Tamen si uteri contractiones tam validæ simùl observentur, ut abortus inevitabilis appareat, tum ab illo remedio abstinendum est.

Hæmorrhagia aliquando ipsâ inductâ debilitate sistitur, idcircò syncope affectis mulieribus non tam citò stimulantia et cardiaca propinanda sunt; nisi vitæ periculum foret in morâ, suadet noster Prof. expertissimus Kluyskens. Cæterùm feminis debilitate exhaustis, quarumque vires erigendæ sunt, pergente hæmorrhagia præter topica laudata aliaque generalia, quæ semper conveniunt, tonica adstringentia et imprimis cortex peruvianus, aqua rabelii, radix ratanhiæ (krameria triandria Ruiz.) commendanda sunt. Ultima hæc substantia et præcipuè ejus extractum a medicis Hispagnicis adeo laudatum, cusjusque proprietas adstringens nuperrimè in nostrâ patriâ optimo successu fuit coronata, cæteris omnibus in sistendis hæmorrhagiis uterinis passivis palmam præripere videtur.

Injectiones in utero cum spiritu vini, oxycrato, acidis sulfurico, et nitrico dilutis, a quibusdam laudatæ, mihi videntur, minorem utilitatem præstare, quandoque noxias inducere. Idem dicendum est, de cucurbitis siccis ad mammas secundum Hippocratem applicandis.

Minimè negligenda venit, si sanguinis fluxus pergat, uteri orificii et vaginæ obturatio. Quam Practicus Leroux tam sæpè cum successu in hæmorrhagiis, tum tempore graviditatis quàm posteà locum habentibus, adhibuit. Dûm autem vagina obturatur, sanguis non adeo liberè effluens, coagulatur, non tantùm in vaginâ, sed et in ipso utero, sicque hæmorrhagiæ medetur, modo obturamentum contractionibus uterinis non expellatur.

Quod si illis omnibus nihil proficitur, mulierque abortit, iisdem malis affici potest, ac post partum naturalem; ergo eadem cura. Cujus descriptio, uti et etiam aliorum symptomatum abortum concomitantium curatio, hìc omittuntur, ne videamur crambem bis coctam apponere, vel a nostro proposito nimis recedere. Hoc tamen ad-

dendum est ; quod si, post expulsionem fœtûs, remanente placentâ in cavitate uterinâ, sanguinis ex utero fluxus oboriatur, tum ratione quâ mulier periclitetur, auxilia ad hæmorrhagiam sistendam decantata, et præcipuè vaginæ obturationem, in usu vocanda esse ; dein cessante hæmorrhagiâ, secundinæ per inductas uteri contractiones, post tempus plus minusvè longum expelluntur, ita ut instrumenta quibus illæ ex uteri cavo extrahi solent, ob omnibus neglecta et inutilia sint.

Ultima adhùc quæstio movenda est, utrùm fœtûs eductio, aliquando fieri debet et quandonam ?

In fluxu muliebri, nullis remediis sedando, si convulsiones aut animi defectio gravis superveniant, aliove modo gravida periclitetur, optimi etiam in arte obstetriciâ practici suaserunt, ut in tanto discrimine fieret uteri evacuatio ; imò in hâc solâ unicam spem posuerunt salutis. Mirum non est, quosdam in voto habuisse, ut in periculosâ uteri hæmorrhagiâ, cavum uteri evacuari, posset, quia brevi, educto fœtu et secundinis solet minui hæmorrhagia, et tandem, contracto utero cessare. Sed quùm hoc non semper fieri possit, nisi dilatetur os uteri, quod primis graviditatis mensibus difficulter, et non nisi vi adhibitâ, fiat, nec consequenter sine periculo. Hæc fuit ratio, quarè alii statuerunt, non debere fieri eductionem fœtûs, si illa fieri nequeat, absque violentâ dilatatione oris uteri : sed tunc tantùm prodesse, dum os uteri apertum facilè admittit digitos obstetricatoris. Quinimò Illustrissimus Levret (1) statuit : ne quidem tactu explorandam esse gravidam, si uteri hæmorrhagia adsit, et nondum inceperint partûs dolores, neque adsit terminus solitus graviditatis, ubi autem ipso partûs jam incepti tempore hæmorrhagia uteri profusa se manifestat, tunc membranas aquam continentes citò rumpendas monet : aquis enim evacuatis, uterus se contrahere in minûs spatium poterit, et hæmorrhagia minuetur.

Hisce rite perpensis, medium hic tenere optimum duximus. Quùm

---

(1) L'art des accouch. chap. VII. pag. 15

primis gestationis mensibus, os uteri magis conniveat, et non adeo commodè tangi posset digito, et multò minûs aperiri, ut fœtus educi possit, qui etiam cum mole minor sit, difficiliùs prehendi, nec ob corpusculi mollitiem digitis firmiter teneri poterit, quùm ubi vi dilatatur os uteri, periculum sequentis inflammationis immineat, et vix sperari possit, ut educto fœtu, uterus adhuc vim sese subitò contrahendi habeat, sicque plures pereant post eductionem fœtûs pergente hæmorrhagiâ, neque certum omninò sit matrem perituram esse, nisi ejus vita fœtûs morte redimeretur : ex his omnibus concludere licet, primis graviditatis mensibus, non commendandam esse fœtùs eductionem, et rarissimè si unquam ante septimum gestationis mensem, nisi talis foret pelvis deformitas, ut partus soluto tempore impossibilis prævideatur.

TANTUM.



POSITIONES MEDICÆ.



I.

Talis est corporis humani vivi conditio, ut quæque pars suum agnoscat stimulum.

II.

Irritatio ab inflammatione distinguenda est.

III.

Conceptionem fieri in ovario certum est.

IV.

Non est communicatio directa per vasa inter matrem et fœtum.

V.

Qui secundinarum extractionem statim a partu semper instituendam volunt, non minûs a recto tramite aberrant, quàm qui eas semper relinquendas statuunt, media via hìc tutissima.

VI.

Inflammatio puerperalis pluribus diebus quandoque post puerperium evolvitur.

VII.

Gastro-Enteritides hisce temporibus frequentiores observari, nemo negabit. Nonne quia meliora edocti?

VIII.

Nunquam puris formatio sine prægressâ inflammatione.

IX.

Morbi sanatio quandoque periculosa.

X.

In vomitu ventriculus non est passivus.

XI.

Celeber. Curtii Sprengel sententiæ assentimur: primariam salium neutrorum actionem in corpus humanum. Chemicam esse.

Vidi nihilque reperi quod legis academ. paragr. 56 *adversatur.*

J.-E. VERBEECK, *h. t. f. m. dec.*